

fessa iacent odiis aut exsaturata quievi,
 quin etiam patria excussos infesta per undas
 ausa sequi et profugis toto me opponere ponto. 300
 absumptae in Teucros vires caelique marisque.
 quid Syrtes aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
 profuit? optato conduntur Thybridis alveo,
 securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
 inmanem Lapithum valuit, concessit in iras 305
 ipse deum antiquam genitor Calydonā Dianae,
 quod scelus aut Lapithas tantum aut Calydonā meren-
 tem?

ast ego, magna Iovis coniunx, nil linquere inausum
 quae potui infelix, quae memet in omnia verti,
 vincor ab Aenea. quod si mea numina non sunt 310
 magna satis, dubitem haud equidem implorare quod
 usquam.

flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.
 non dabitur regnis — esto — prohibere Latinis,
 atque inmotā manet fati Lavinia coniunx:
 at trahere atque moras tantis licet addere rebus, 315
 at licet amborum populos excindere regum.
 hac gener atque socer coeant mercede suorum:
 sanguine Troiano et Rutulo dotabere virgo,
 et Bellona manet te pronuba. nec facē tantum
 Cisseis praegnas ignis enixa iugalis; 320
 quin idem Veneri partus suus et Paris alter
 funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae’.

Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit:
 luctificam Allecto dirarum ab sede dearum
 infernisque ciet tenebris, cui tristia bella 325
 iraeque insidiaeque et crimina noxia cordi.
 odit et ipse pater Pluton, odere sorores
 Tartareae monstrum: tot sese vertit in ora,
 tam saevae facies, tot pullulat atra colubris.
 quam Iuno his acuit verbis ac talia fatur: 330
 ‘hunc mihi da proprium virgo sata Nocte, laborem,
 hanc operam, ne noster honos infractave cedat